

[p.263]

HISTORIAE DEORUM GENTILium  
DE PLVTONE, PROSERPINA, ET  
CAETERIS DEIS INFERIS, SYNTAGMA  
SEXTVM, AD NICOLAVM VICENTIVM.

Pluto et Persephone, dei silentium  
Et Parcae, et Furiae, deique Manes,  
Omnis denique coetus inferorum,  
Hoc Syntagmate sunt breui notati.  
Quod munus tibi Nicolae mitto,  
Hoc fratri tamen ante destinaram:  
Sed postquam irremeabiles tenebras  
Hunc Orci Libitina adire iussit,  
Tu qui haeres suus es, tibi hoc habeto:  
Nexum sic quoque nominum duorum  
Vno hoc munere, Nicolae, soluam.  
LILIVS GREGORIVS GYRALDVVS  
Nicolao Vicentio, S.P.D.

Magna fuit Benedicti Vicentii fratis tui  
indoles, magnumque optimarum artium  
studium, tum omnis liberalis et digna homine  
ingenuo ab eo perquisita doctrina. sed, pro  
inuida fata, quo tempore in hac florentissima  
urbe, sub hoc illustrissimo et prudentissimo  
Principe, inter nos florere maxime poterat,  
caruit omnino rebus humanis. Vt enim de eo  
mittam illud, πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον  
τυραννίδος, compactamque totius corporis ad  
commensum compagem, quibus rebus  
omnibus ferme urbanis adolescentibus  
antecellebat. Sed quid dicam? quo studio  
eloquentiam caeterasque disciplinas, qua  
denique animi propensione doctissimos  
quosque et eruditissimos prosequebatur,  
Varinum, Alexandrum Coelium Calcagninum,  
aliosque: quo denique animo me post  
longissimam meam peregrinationem, uelut  
alterum pelago eiectum Vlyssem,  
naufragumque, non despexit, sed una cum iam  
dictis (ut tu, omnium eius consiliorum  
actionumque conscientius, probe nosti)  
connumerabat, et liberalitate sua, quantum  
iuueni licebat, alebat, sustentabat? Quin audio,  
cum extremus illi dies instaret (praesens ego  
propter aduersam articulorum et totius  
corporis imbellicitatem adesse nequiui) me ita  
tibi Nicolae commendasse, ut tu post eius  
immaturum, [p.264] et mihi acerbum  
interitum, a te sim assidue aliquo indies  
subsilio et ope perbenigne adiutus, licet ea tibi  
cum fratribus tempora contigerint, quibus  
fortunae iniquitate, iactura esset facultatum  
maxima facienda, quae tamen clementissimi  
benignissimique Principis mansuetudine, et in

suos ciues benevolentia, et emendata est, et  
mitigata. Quantum igitur Benedictus, dum in  
uiuis ageret, mihi detulerit, ipse mihi sum  
optime conscientius, et tute, ut dixi, probe nosti.  
Quare cum hoc Syntagma de Plutone et  
Proserpina, caeterisque deis Manibus in lucem  
apertumque datus essem, putaui me non  
paruam apud optimos quosque gratiam  
initurum, hac ipsa grati animi mei  
significatione, si eius nomini et tuo, id ipsum,  
qualecunque est, darem. Accipe igitur, Nicolae,  
exiguum hoc, licet, munus: non uoluntatis  
tamen exiguae, at beneuolae, et pene dixerim  
immense. cui si ita corporis uires manusque  
suppeterent, ut merita uestra exposcunt, hic  
non iam libellus esset, sed magna potius Ilias,  
ne dicam magnum illud Opus Antimachi,  
uobis mitteretur. Fraternorum manium,  
meique memor, Vale: Ferrariae.

PLVTO, ET CAETERI INFERORVM  
DEI.

Plutonem, et deos inferorum caeteros  
Manes, hoc Syntagmate tibi Nicolae Vicenti  
dum scribere meditor, charissimi, et  
amantissimi fratris tui Benedicti, et discipuli  
mei studiosissimi memoria non animo tantum,  
quo mihi semper insidet, sed ipsos etiam ob  
oculos eius imago obuersari uidetur. nam quo  
ille maxime uita dignus erat, eo citius illum  
mors importuna intercepit, et in ipso  
adolescentiae cursu rapuit, nosque adeo  
certissima spe, non iam indole frustrata est.  
Sed eius lugendi modum facere, uel illud in  
primis nos monere potest, quod ea tempora  
post eius obitum nobis successere, ut potius illi  
aeternam quietem inuidere, quam eum lugere  
uideremur. Quare ne praeterita refricem, et  
obductae pene cicatrici unguis iniicere uidear,  
iam deos ipsos Inferos interpretandi institutum  
aggrediar.

Igitur quem nos Latini Ditem patrem, et si  
Lactantium audiamus, et Isidorum, Diespitrem  
uocamus, Graeci Plutonem et Haden: et qui  
eius imperio subesse putabantur, deos, hoc  
Syntagmate commentabimur. Ditis uero  
nomine, ut ait M. Cicero, nuncupatus, quod  
terrena uis omnis ac natura ipsi dicata  
putaretur. nam et omnia in terras recidunt, et  
ex iis oriuntur. Alii tamen, ut est apud Fabium  
Quintilianum ideo Ditem uocatum uolunt,  
quod minime diues sit. mortui [p.265] enim  
omnibus exuti bonis sunt crediti. Tertius uero

Saturni filius ex Ope, id est Rhea fuit, cui inferorum regna obuenere: unde et Infernus Iupiter a poetis saepe cognominatus est, ut etiam Proserpina Iuno inferna, ut paulo mox planius ostendam. Plutonem scribit Diodorus et ab eo ipse in Sepulchralibus retuli, fuisse funerum, sepulchrorum, et caeterorum quae defunctis impenduntur inuentorem, et propterea existimatū inferis praeesse. hinc et silentium, id est, mortuorum rex dictus est. Claudianus:

Rex ille silentium Lethaeo curru.

quem currum quadriugum idem poeta his uersibus ostendit:

Orphneus crudele micans, Aethonque sagitta  
Ocyor, et Stygii crudelis gloria Nycteus  
Armenti, Ditisque nota signatus Alastor.  
hi ergo Plutonis equi.

Non ignoro, alios quosdam tres tantummodo commemorare, non inscite solum, sed barbaris etiam nominibus. Homerus quidem Clytopolon Plutonem cognominat, a pullis, id est equis generosis. Sane a physicis et gentium antiquis theologis, omnis aeris a luna diffusio, sub Plutonis potestate consistere putabatur: et luna, quae huic aeri proprior est, Proserpina, quae et ipsius coniunx credebatur. quod et Martianus scribit, a quo et ita (ut eius uerbis agam) describitur: Pluto lucifuga in umbratione pallescens, in capite coronam ex hebeno tartareae noctis obscuritate furuescens. Alii tamen cupresso arbore illum delectari scribunt, quod ipsa sit arbor funesta. nam et cupressus funeribus adhibebatur, uel quod caesa non repullulat: uel quod per eam funestatae ostendebantur domus, sicut laetas etiam hoc tempore festae indicant frondes. M. Varro tamen pyras ait ideo cupresso circundari solitas, propter grauem ustrinæ odorem, ne eo offenderetur populi circumstantis corona: et caetera, quae in Sepulchralibus diximus. Phurnutus tamen, Ditem coronari ait phasganiis, sic appellatis, hoc est ensiculis: nisi forte pro phasganiis σπαργανοῖς uel σπαργανιοῖς legendum sit, id est fasciis. Nam et ita effectum me uidisse, ni fallor, aliquando remetior. Aliqui et adianto herba coronabant. quin et Alibanta fabulantur, διὰ τὴν τῆς λιβάδος ἀμηθεξίαν νεκρῶν, hoc est, quod minus amoenitatis uita functi participes sint. Sed et narcissus proprie defunctis conuenire existimabatur, et eo Erinnys coronabatur, ut idem ait Phurnutus: quae, et alia pleraque,

desiderantur in editis Aldinis et Germanis codicibus. Pindarus praeterea Plutoni uirgam attribuit, qua mortuos deducat ad inferos. Nunc etiam curru uehi, nunc solio sedere, finxit antiquitas. Sic uero a Claudio poeta ex Parcae uerbis lepide describitur:

O maxime noctis

Arbiter, umbrarumque potens, cui nostra laborant [p.266]

Stamina, qui finem cunctis et semina praebeas,

Nascendique uices aliena morte rependis,

Qui uitam letumque regis. nam quicquid ubique

Gignit materies, hoc te donante creatur,

Debeturque tibi certis ambagibus aei: Et quae sequuntur.

Sed enim Placiades Fulgentius ita describit. Plutonem enim ait ideo terrarum praesidem existimatū, quod πλοῦτος graece diuitiae dicuntur, et solis terris credebat ueteres diuitias deputari. Hunc etiam, inquit, tenebris addictum dixerat, quod sola terrae materia sit cunctis elementis obscurior. Sceptrum quoque manu gestare putabant, quod regna solis competant terris. Tricerberum uero canem eius subiiciebant pedibus, quod mortalium iurgiorum inuidiae ternario conflentur statu, id est, naturali, casuali, et accidentalī, ut Fulgentii ipsius uerbis utar. Alii uero sic tradunt: Sceptrum breue, quod gestare fingebatur, inferioris regni symbolum fuisse: canis autem, frugum a terra partium tripartito, in proiectionem, arationem, et germinationem diuidi, notabat. Fuere qui clauem illi tradidere, quod qui apud inferos concluderentur, haud ab eo redire possent amplius, id quod in Eliacis ostendit Pausanias. nam ut ait Maro,

Facilis descensus Auerni:

Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras,

Hoc opus, hic labor est.

Plutoni etiam galeam dedere, de qua et Homerus libro quinto Iliados. sed et Hyginus in Astronomico poeticō, de Perseo agens. Praeterea galeam, qua indutus, ex aduerso non poterat uideri. Itaque Graeci Αἴδης κηνέν, id est Orci galeam dixerunt esse, non ut quidam inscientissime interpretantur, eum Orci galea usum, quae res nemini docto potest probari. sic quidem Hyginus. Eusebius uero tertio Praeparationis euangelicae, Plutonis, inquit, raptoris galea caput tegitur, quod occulti uerticis symbolum est. Alii galeam Plutonis,

nubem seu nebulam interpretantur, qua Dei obuoluerentur, quoties uideri nollent. hoc pluribus ait Phauorinus, meminit et Plato libro decimo de Republica et Origenes primo contra Celsum libro et alii, inter quos praecipue Erasmus in Prouerbiis.

Hades uero, hoc est Ἄδης, plerique, ut Socrates ait apud Platonem, mihi uidentur interpretari, quasi ἀειδὲς, id est triste, uel tenebrosum. Et proinde timentes hoc nomen, Plutonem uocarunt, quam tamen sententiam idem mox impugnat: siquidem, ait, plurimi quotidie illum subterfugerent, nisi fortissimo uinculo eos qui illuc descendunt, ligaret. tum subinfert, cupiditate ualidissima eos Haden illigare, qui illuc descendunt, quod nullus reuertatur. Et propterea illum tanquam doctissimum sophistam Euergeten, id est beneficium esse dicit, [p.267] qui ingentia, his qui penes ipsum habitant, conferat beneficia: utpote qui usqueadeo diuitiis abundet, ut inde Pluto sit nuncupatus. Atque ita etiam paulo post subdit: Ἄδης igitur minime, quasi ἀειδὲς, id est triste uel tenebrosum, sed potius ἀπὸ τοῦ πάντα τὰ καλὰ εἰδέναι, quod noscat omnia pulchra. At uero Phurnutus ait Haden appellari, quod uideri minime possit, quasi ἀόρατον. Hinc et per diaeresin Ἀΐδα uocarunt, uel per contrarium, ceu ἀνδάνων ἡμῖν τοῦ θανάτου, hoc est, morte nobis placens. Alii ab ἀ et εἰδεῖν, id est, non uidendo deriuant, quod et Gaza notat, licet denso spiritu proferatur. unde et Vergilius dicit, Sine sole domos. hinc et Ἄδης dictus est.

Aidoneus etiam Pluto cognominatus est, ab αἰδῆς, quae uox scripta per propriam diphthongum, sine afflatu apud Graecos legitur, per impropriam uero diphthongum, hoc est ἄδης afflatur. Sic et Aidoneus, de quo sic Philochorus in Attidis libro secundo, et Eusebius in Chronicis: Fabula Proserpinae, quam rapuit Aidoneus, id est Orcus, rex Molossorum, cuius canis ingentis magnitudinis, Cerberus nomine, Perithoum deuorauit, qui ad raptum uxoris cum Theseo uenerat: quem et ipsum iam in mortis periculo constitutum, adueniens Hercules liberauit. et ob id quasi ab inferis receptus dicitur. Eandem fabulam Plutarchus in Theseo recitat: sed Cererem Aidonei uxorem, et Proserpinam filiam dicit. caetera pene eodem modo. Sane et Plutoni pallacem, id est concubinam Minthen, ascribit in primis Julius Pollux in sexto, et ante

Pollucem Strabo in octauo, sed et utroque antiquior Nicander poeta in Alexipharmacis,

καὶ χλοεραὶ ἀπὸ μίνθης φυλλάδες, ἡὲ μελίσσης, id est, Viridia minthae folia, siue melissae: quo loco et Scholiastes fabulam recitat. Quin et poeta noster Ouidius in Metamorphosi eam in plantam mutatam innuit, cum ita in decimo canit:

An tibi quondam

Foemineos artus in oientes uertere minthas  
Persephone licuit.

Vide et Oppianum post Ouidium, libro tertio Halieuticon, qui copiosius hanc fabulam est executus. plura Coelius, et Ruellius de mentha.

Agesilaus Pluto cognominatus, παρὰ τὸ ὄγειν τοὺς λαοὺς, quod scilicet populos agat. est enim inferorum et mortuorum deus existimatus a gentibus. huius meminit in primo Lactantius Firmianus: et Callimachus, qui ait, φοιτῶσι μεγάλῳ Ἀγεσίλεῳ, hoc est, Ad magnum pergit Agesilaum. De Agesilao Plutone, ex Methodio et Aeschylo plura Athenaeus. Sunt tamen qui apud Lactantium, pro Agesilao Agelastum legant, quod sine risu deus sit, sed luctuosus. [p.268] Legimus quippe Agelastum Plutonem uocari: et Agathalyum, quod mortalium bona soluat.

Ἄγετας quoque Pluto cognominatus est Pindaro, quod (ut exponunt eius interpretes) πάντας ἄγει λαοὺς, id est, omnes agat populos.

Axiocenses Pluto cognominatus est in Cabirorum et Samothracum sacris, sicut legimus in Commentariis in Apollonium Rhodium, et a me alibi pluribus relatum est.

Ἀρειμανῆς uero Ἀΐδης apud Persas, teste Hesychio, dictus. Arimanēs quidem, et Plutarchus, aliique meminere, sed non Plutonem expresse dixerunt.

Eubulus, et Eubulius, καὶ Εύβουλεὺς Pluto cognominatus, quod mortalibus consulere crederetur, finemque curis ac laboribus caeterisque morbis afferre, ut in Alexipharmacis Nicandri interpretes exponunt. Praeter Nicandrum, et Orpheus in hymnis hoc cognomine est usus, et Phurnutus interpretatur. alium tamen Eubulium uidetur Cicero facere in Natura deorum.

Clymenon etiam Plutonem cognominari, sunt qui scribant: quia sit causa τοῦ κλύειν. ictus enim aer, uox est. Aer autem qui animas excipit, Ἄδης, διὰ τὸ ἀειδὲς, ex obscuritatis ratione ab aliquibus dictus, ut superius ex

Platone dictum. Idem scribit et Phurnutus. Lasus Hermioneensis poeta in principio hymni quem in Cererem composuit, Δήμητραν μέλπω, κόραν τε κλυομένοιο ὄλοχον, hoc est, Cererem cano Proserpinamque Plutonis coniugem. Legi etiam alicubi Κλύμιος Ἀδης, quod an recte scriptum, haud definio.

Leptynis Pluto, si non potius Proserpina: dicta est, quod mors ac interitus corpora mortalium attenuet.

Chthonius Iupiter Pluto uocatus ab Orpheo, in hymno Eumenidum. eas enim magni Ioui Chthonii filias, et Proserpinae, cecinit. Vocatur idem a Trismegisto Hermete in Asclepio, Plutonius Iupiter.

Ισοδέτης, Isodetes (inquit Hesychius, et Phauorinus) ab aliquibus Pluto. alii putant nomen daemonis ut in Daemonibus dicetur. Ab aliis Plutonis filius uocatus est. Πυλάρτην etiam cognominatum ab Homero ait Phurnutus, quod portas habeat, quas nullus non ingrediatur. Iam nunc ad eius latina nomina transeamus.

Orcus frequenter pro Plutone ipso, et inferis capit, ab urgendo: tametsi quidam ex nostris Graecum potius putauere, ab iuramento deductum, et cum afflatu scribunt Horcum. alii, aspirationem additam in posteriore syllaba uolunt, unde sit deductum nomen proprium Orchius, et lex Orchia apud Macrobius. Nos Festum potius audiamus, ita scribentem: Orcum quem dicimus, [p.269] ait Verrius, ab antiquis Vragum, quod etiam u literae sonum pro o efferebant, et pro C, G literae formam usurpabant. Sed nihil affert exemplorum, ut ita esse credamus, nisi quod is deus nos maxime urgeat. tantum ait Festus. Catullus:

At nobis male sit, malae tenebrae,  
Orci, quae omnia bella deuoratis.

Vergilius,

Vestibulum ante ipsum, primisque in fauibus: Orci. Ab Orco, Orcinius libertus ab Iureconsultis dictus, is qui sit ipsius testatoris defuncti, et in Orci familiam ascripti. Vlpianus: Qui directam, inquit, libertatem acceperunt, Orcinii erunt liberti. Non me fugit aliter alios, et quidem eruditos, sentire. Legimus et apud Martiale, illo scazonte, Orciniana qui feruntur in sponda: dici pro feretro, et sandapila. de Orci uero galea iam actum est.

Summanus Pluto uocatus, quasi summus manium, cui (ut Plinius scribit) attribuebantur nocturna fulmina. In templis Iouis optimi maximi fastigio Summanus fuit, ut M. Cicero

in libro de Diuinatione scribit. Nonne, inquit, cum multa alia mirabilia, tum illud in primis, cum Summanus in fastigio Iouis optimi maximi qui tum erat fictilis, coelo ictus esset, nec usquam eius simulachri caput inueniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt: idque inuentum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus. De Summano et in quarto D. Augustinus, Sic enim, inquit, apud ipsos Romanos legitur. Romani ueteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Iouem, ad quem diurna fulmina pertinebant. Sed postquam Ioui templum insigne ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut uix inueniatur, qui Summani nomen, quod audire iam non potest, se saltem legisse meminerit: Et reliqua. Quod ignobilis iam factus esset, innuit et Ouidius sexto Fastorum,

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,

Tunc, cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

Varro de Lingua latina ait: Tito Tatio inter caeteros deos Summanum repositum. Summani et Martianus meminit, et Festus. Sed et Plautus in Bacchidibus ita inquit: Me Iupiter, Iuno, Ceres, Minerua, Latona, Spes, Ops, Virtus, Venus, Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules, Summanus, Sol, Saturnus, deique omnes ament. Fuit prope Circum maximum Summani aedes, ait Plinius, prope fanum Iuuentatis, sacellum uero in Capitolio. Summanes demum apud Martianum deos legimus, qui alii sunt quam qui Semones dicebantur, de quibus suo loco disseruimus. [p.270]

Soranus Pluto a Sabinis nuncupatus, ex quo et Hirpini Sorani dicti, quasi Plutonii lupi: uel quod is deus ibi coleretur, uel quod rapto ex responso uiuerent. Quo de nomine tales legimus fabulam in undecimo Aeneidos, super illo, Summe deum sancti custos Soractis Apollo. Soractes, inquit Seruius, mons est Hirpinorum, in uia Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti patri sacrum persolueretur (nam Manibus consecratus est) subito uenientes lupi exta rapuerunt: quos cum diu sequerentur, delati sunt ad quandam speluncam, halitum ex se pestiferum emittentem, adeo ut iuxta stantes necaret. et inde orta pestilentia est, quia fuerant lupos secuti. de qua responsum fuit, posse sedari, si lupos imitarentur: hoc est, si rapto uiuerent.

quod posteaquam factum est, dicti sunt populi Hirpini Sorani. nam lupi Sabinorum lingua hirpi uocati. Sorani uero, a Dite. nam Ditis pater eadem lingua Soranus dicitur.

Postulio etiam Pluto uocatus, ut Varro docet de Lingua latina de Curtio lacu loquens: A Porcilio, inquit, delatum in eo loco dehisce terram, et id ex S.C. haruspicis relatum esse responsum, deum manium Postulionem postulare. Non desunt qui redarguant, si dis placet, hoc loco Varronem, uel magis mendorum codicem putent, Postulationemque legant, qua uoce significari tradunt sacrum ad prodigium, uel deum iram auertendam, et amoliendam, ut quadam oratione innuit M. Cicero. Sed et Graecis, ut Phurnutus scribit, Pluto Πολυδέκτην, καὶ Πολυδέγμων, καὶ Πολύφρος cognominatus est, quod multis dominetur.

Februus deus Pluto appellatus ab antiquis, a purgationibus et lustrationibus funerum. Multa Ouidius in Fastis, et nos plura in libro de Annis et mensibus.

Quietialis etiam Pluto dictus est, quia omnibus pausam afferat. Quietialis, inquit Festus, dicebatur ab antiquis Orcus. Vocatus insuper et Stygius Iupiter. Ouidius,

Saepe tibi est Stygi regia uisa Ioui.

Vergilius Sacra Ioui Stygio.

Eadem ratione et saepe Infernus Iupiter.

Claudianus:

Infern raptoris equos.

Dictus idem Niger Iupiter. Silius libro octauo:

Nigro forte Ioui, cui tertia regna laborant.

Vedius praeterea, et Veious etiam appellatus, ut alio loco notauiimus. Dux erebi etiam dictus est a poetis, et Rector profundi, et Elysi, et huiusmodi aliis plerique, ut ab aliis colligitur, qui hac parte studiosis literarum consuluerunt.

Beelzebub ab Hebraeis et Chaldaeis Pluto dicitur, eadem pene qua Latini ratione Iouem Stygium, et Infernum Iouem appellant: [p.271] quippe Beel, ut diximus, Belus, fuit illis, qui Iupiter est. quidam Bahalzebub muscarum deum interpretantur. Sed ipse de hoc deo plura iam tibi collegi. Mammona alii appellant, ut nos Ditem, et graeci a diuitiis Plutonem.

Serapin iure cum Plutonis nominibus coniungimus. nam idem cum Plutone existimatus est, ut Plutarchus in libro de Isi et Osiride docet, et Archematus Euboeus, qui non alium Serapin quam Plutonem, nec aliam

Isin quam Proserpinam esse scribit. Quin et Ponticus Heraclides oraculum, quod celebre Serapidis fuit, Plutonis fuisse asserit. quod consulenti cuidam Aegypti regi, quisnam se esset beatior, ita respondisse fertur:

Principio Deus est, tum uerbum, his spiritus una est,

Congenita haec tria sunt, cuncta haec tendentia in unum. Hoc est grecce:

πρῶτα θεὸς. μετέπειτα λόγος, καὶ πνεῦμα σὸν αὐτοῖς,

σύμφυτα δὴ τρία πάντα καὶ εἰς ἐν γοντα.

Quod ideo tibi retuli, ut uideas, a Plutone Trinitatis mysterium assertum esse. Caeterum et Porphyrius in libro Responsorum, Serapin affirmat apud Aegyptios deum esse, qui apud Graecos Pluto nuncupetur: unde etiam reponitur inter ea nomina, quae graeci ἐπταγράμματα dicta sunt, id est septem literarum, et ideo abominanda ait: ὄργιον, et σκληρὸν. Cuius etiam symbolum canis est, triceps ille scilicet, qui in aqua terra et aere, tribus his elementis uersatur, perniciosissimus daemon, ut ait Porphyrius. Sed Serapis quamuis proprius et pecularis esset Aegyptiorum deus, nihilominus et in Graecia multis in locis cultus fuit, et in primis Athenis, ut Pausanias scribit: et Romae, in circo Flaminio, nona urbis regione, ut Petrus Victor docet, cuius et adhuc nonnulla extant uestigia. Catullus de Varri amica, quae ad Serapidis templum deferri uolebat octophoro, Nam uolo, inquit, ad Serapin deferre: lepidissimum est epigramma. Serapidis autem originem Cornelius Tacitus Historiarum libro uigesimo, plane describit: ait enim, Ptolemaeum Lagi a deo monitum per quietem fuisse, ut in Pontum mitteret, eamque dei effigiem acciret: futuram inclytam sedem, quam simulachrum illud accepisset. post multa tandem regem illuc misisse, et demum a Sinopensium rege impetrasse, templumque Alexandriae magnificum construxisse. Plutarchus in praecitato Isidis et Osidiris libro in hac historia recensenda nonnihil euariat: non enim Ptolemaeum Lagi id fesisse, sed Sotera scribit, et a Sosibio regem admonitum. Eustathius tamen cum Tacito congruit: regemque non somnio, sed ex daemonicis apparitione monitum tradit. Alii tamen, ut idem Tacitus prodit, a Seleucia urbe Syriae, non a Sinope deuictum deum putant, et a Ptolemaeo tertio: quod, inquit, parum constat. [p.272]

Alii non Alexandriam adiectum, sed Memphim: utcunque, idem subdit Tacitus, deum ipsum a multis Aesculapium existimat, quod aegris corporibus mederetur. Ab aliis Osirin, antiquissimum illis gentibus numen. A plerisque Iouem, ut rerum omnium potentem: a plurimis Ditem patrem, ex insignibus ipsius dei, quae in ipso manifesta, aut per ambages coniectabant. haec quidem ex Tacito. Diodorus quoque Serapin tum dici asserit Osirin, tum Dionysium, tum Ammonem, tum Iouem, et Plutonem demum. Eusebius item libro quarto Praeparationis euangelicae ex Porphyrio de Serapide pleraque recitat. principem enim malignorum daemonum scribit. Et ex eiusdem Eusebii sententia Baptista Leo libro sexto, Serapin ait symbola edidisse, quibus daemones expellerentur, docuisseque quo pacto daemones assumpta brutorum figura insultarent. Ita porro hic deus effingebatur a Macrobio: Calathum, inquit, eius capiti affingunt, et simulachro signum tricipitis animantis adiungunt, quod exprimit medio, eodemque maximo capite leonis effigiem. in dextra parte caput canis exoritur, mansueta specie blandientis: pars uero laeva ceruicis rapacis lupi capite finitur, easque formas animalium draco connectit, uolumine suo capite redeunte ad dei dextram, qua compescitur monstrum. Quidam tria tempora interpretantur, praesens leoni, praeteritum lupo, futurum cane blandiente. Et haec ferme Macrobius. Sane longe aliter historiam de Serapide, Eusebius, Augustinus, Suidas, et Ruffinus recitant. Sic propemodum Eusebius in X. Praeparationis, Apis, inquit, Argiorum rex, ut Aristippus in primo Arcadicae historiae scribit, Memphin in Aegypto condidit, quem Aristeus Argius Serapidem appellatum tradit. hunc ab Aegyptiis diuinos honores consecutum, non ignoramus. Nymphodorus autem Amphipolitanus in tertio de Asiaticis legibus, Apim taurum mortuum, in foro graece, quod latine arcum dicimus, positum, Sorapin primo, ac deinde Serapin appellatum fuisse contendit. Haec Eusebius. Augustinus uero XVIII. de Ciuitate dei: His temporibus, inquit, rex Argiorum Apis nauibus transuetus in Aegyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis, omnium maximus Aegytorum deus. Nominis autem huius, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro

reddidit. Iuia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes iam σαρκοφάγον uocant, σορὸς dicitur graece, et ibi eum uenerari sepultum coeperunt, priusquam templum eius esset extructum, uelut Σόραπις primo, deinde una litera (ut fieri solet) commutata, Serapis dictus est. Constitutum est etiam de illo, ut quisquis eum hominem fuisse dixisset, capitalem penderet poenam. Et quoniam fere in omnibus templis ubi coleretur Isis et Serapis, erat [p.273] etiam simulachrum quod digito labiis impresso admonere uideretur, ut silentium fieret (is erat Harpocrates, de quo seposito loco iam actum est) hoc significare idem Varro existimat, ut taceretur, homines eos fuisse. Ille autem bos, quem mirabili uanitate decepta Aegyptus in honorem eius deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago uiuum uenerabantur, Apis, non Serapis uocabatur: quo boue mortuo, quoniam quaerebatur, et reperiebatur uitulus, coloris eiusdem, hoc est, albis quibusdam maculis similiter insignitus, mirum quiddam diuinitus sibi procuratum esse credebant. tantum Augustinus. Nunc Suidam meis uerbis audias: Sarapis, cuius simulachrum in Alexandria Theophilus archiepiscopus sustulit, Theodosii magni tempore: hunc aliqui Iouem esse dicebant, alii Nilum, propterea quod modium haberet in capite, et πῆχυν, id est cubitum, hoc est aquae mensuram. Alii autem Ioseph: alii uero Apin quendam hominem fuisse beatum et regem in Memphide, ciuitate Aegypti, qui facta fame Alexandrinis ex propriis facultatibus nutrimenta praebuerit. eo uero defuncto, templum constituerunt, in quo bos nutriebatur, symbolum gerens agricolae, et quasdam habens coloris notas: qui ex appellatione ipsius, et ipse Apis uocabatur. Et σορὸν, id est arcum ipsius Apidis, in qua eius corpus iacebat, Alexandriam transtulerunt, et ἀπὸ τῆς σοροῦ καὶ Ἀπίδος compositum nomen fecerunt, et uocarunt Sorapin, et postea Sarapin. huius templum ab Alexandro ualde magnificentum conditum fuit, et ualde clarum. Et adhuc Suidas. De hoc eodem deo Ruffinus non absimilia, et plura in Ecclesiastica Eusebii historia, quo loco describitur, et simul praestigia eius sacerdotum, et ipsius templi demolitio, quae ferme eadem etiam in Tripartita historia referuntur. Porro Serapeum inuenio templum hoc nuncupatum, de quo Strabo, et post eum

Ammianus in historia ita ait, ubi mirabilia Aegypti connumerat: His accedunt altis suffulta fastigiis templa, inter quae eminet Serapheum, quod licet minuatur exilitate uerborum, atriis tamen columnaribus amplissimis, et spirantibus signorum figmentis, et reliqua operum multitudine ita est exornatum, ut post Capitolium, quo se uenerabilis Roma in aeternum attollit, nihil orbis terrarum ambitiosius cernat. Et haec Marcellini uerba sunt. Sedenim de hac subuersione templi librum composuit Sophronius, ut ait Hieronymus. Libet insuper Ruffini uerba subtexere, quae de Serapidis origine leguntur in historia: Alii, inquit, Iouem putant, cuius capiti modius superpositus, uel quia cum mensura modoque cuncta indicet moderari, uel uitam mortalibus frugum largitate praeberi. Alii uirtutem Nili fluminis, cuius Aegyptus opibus et foecunditate pacatur. Quidam in honorem nostri Ioseph [p.274] formatum perhibent simulachrum, ob dimensionem frumenti, qua famis tempore subuenit Aegyptiis. Alii repertum in historiis Graecorum ueteribus ferunt, Apin quendam patrem familias seu regem in Aegypto Memphi positum, cum famis tempore frumenta apud Alexandriam defecissent, ex proprio affatim ciubus alimenta praebuisse: et caetera, quae recitauius ex Suida. Plutarchus tamen hanc de σορῷ, id est arca Apidis opinionem damnat, et cum ea Philarchum: eamque potius ipse comprobat, quae talis est, quod Deus ipse sit uniuersi motus auctor. ita enim ait, κυριώτερον δὲ παρὰ τὸ σεύεσθαι, ακὶ τὸ σοῦσθαι τὴν τοῦ παντὸς ἄμα κίνησιν. Subiungit idem, fuisse sacerdotum Aegyptiorum, qui Apin et Osirin eundem assererent: nos, inquit, docentes Apin animam esse Osiridis, et caetera. Tum et illud adiungit: At ego, cum Sarapidis Aegyptium nomen sit, laetitiam et hilaritatem significare autumo, inde conjecturam ducens, quod τὰ Χαρμόσυνα, id est Hilaria festa Aegyptii appellant Σαΐρει, et reliqua quae subdit. sed nos pro re satis. Illud quoque annotarim, Serapin, et Sarapin, hoc est, per e et per a in prima proferri, illud a Latinis, hoc a Graecis saepius. Sane mirandum succurrit, cum pro deo Apis primam semper intendat, cur Martianus in Serapi primam et alteram corripuerit, in illo.

Te Serapin Nilus, Memphis ueneratur Osirim.

Sed in eo auctore ut linguae nitorem, ita etiam maiorem syllabarum cognitionem desidero. Sed par est, quoniam de Apide nonnihil ante retulimus, ut caetera quae restant de eodem subiungamus, et praesertim uerbis Plinii, qui libro octauo de Api boue Aegyptiorum ita ait: Bos in Aegypto etiam numinis uice colitur, Apin uocant: insigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus lunae crescere incipientis: nodus sub lingua, quem cantharum appellant. non est fas eum certos uitae excedere annos: mersumque in sacerdotum fonte enecant, quaesituri luctu alium, quem substituant: donec inueniant, moerent, derasis etiam capitibus. nec tamen diu usquam quaeritur, inuentus deducitur a sacerdotibus Memphim. Sunt delubra ei gemina, quae uocant thalamos, auguria populorum: alterum intrasse laetum est, in altero dira portendit. Responsa priuatis dat, e manu consulentium cibum capiendo. Germanici Caesaris manum auersatus est, haud multo post extincti: caetero secretus, cum se proripit in coetus, incedit, summoto strepitu lictorum, grexque puerorum comitatur, carmen honori eius canentium. Intelligere uidetur, et adorari uelle. hi greges repente lymphati, futura praeclinunt. foemina bos semel ei anno ostenditur, suis et ipsa insignibus, quanquam aliis: semperque eodem die et inueniri eam, extinguique tradunt. Memphi est locus in Nilo, quem a figura uocant Phialam: omnibus annis ibi auream pateram [p.275] argenteamque mergentes diebus, quos habent natales Apis. Septem hi sunt: mirumque, neminem per eos a crocodilis attingi: octauo, post horam diei sextam, redire belluae feritatem. haec ex Plinio. Quae subiungam, sunt ex uerbis prope Diodori Siculi: Addamus, inquit, quae circa sacri tauri, quem Apin uocant, curam fieri percepimus. mortuo Api, magnificeque sepulto, quaerunt ad id delecti sacerdotes uitulum priori persimilem: inuento, populus luctum finit. sacerdotes quibus ea imminet cura, primum in ciuitate Nili uitulum perducunt, in qua eum nutriendi diebus XV, deinde in nauim connectam, habitaculum aureum habentem, introducentes, et ad Memphin, ut deum ducentes, in Vulcani fano locant. his diebus solae mulieres taurum uident, quando eius faciem astantes, uestibus sublatis ei abrasum femen ostendunt, reliquo tempore prohibentur in conspectum ipsius dei accedere. Honoris

boui impensi causam nonnulli eam tradunt, quod defuncti Osiridis anima in bouem transmigrasset, quae deinceps ad posteros fuerit transfusa. Alii, Osiride a Typhone interfecto, Apim ferunt eius membra collegisse, collecta in bouem ligneum corio bouis albo circum tectum coniecerisse, ideoque ciuitatem Busiriden appellatam. haec ex Diodoro. Tibullus:

Pubes

Barbara Memphiten plangere docta bouem.

Ouidius:

Et comes in pompa corniger Apis erat.

Statius:

Aut quo se gurgite Nili

Mergat adoratus trepidis pastoribus Apis.

Porro Apis, inquit Herodotus, ab Aegyptiis, a graecis Epaphus appellatus, quod his prope uerbis negat Aelianus: Apis, inquit, apud Aegyptios, deus magnus et pollens credebatur, ex uacca quae fulgure afflata concepisset. Epaphum graeci uocant, et ipsius antiquam stirpem repetunt. Io Argiuam Inachi filiam eius matrem fuisse: sed hunc sermonem Aegyptii ut mendacem reiiciunt, et uetustatem testem citant. Epaphum quidem multis post seculis extitisse tradunt: et reliqua. Habet uero Apis haec signa. toto corpore est niger, in fronte habens candorem figurae quadratae, in tergo effigiem aquilae, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. ita Herodotus in tertio. Aelianus uero ait, Insignes eius notas Herodotus atque Aristagoras explicant, quibus Aegyptii non assentiuntur: nouem enim et uiginti eas huic sacro boui aptas aiunt, et consentaneas. Caetera quae Aelianus ipse ex Aegyptiorum sententia exequitur, missa facio, ne nimius sim: pompas, celebritates, tripudia, pueros diuino afflatu concitatos, futura saltantes praedixisse. At noster Mela Pomponius: Apis, inquit, populorum omnium (Aegyptiorum uidelicet) numen est. [p.276] bos niger, certis maculis insignis, et cauda linguaque dissimilis aliorum: raro nascitur, nec coitu pecudis (ut aiunt) sed diuinitus et coelesti igne conceptus: diesque quo gignitur, genti maxime festus est. Illud etiam est in historiis annotatum, Cambysem regem Apidis sacra uiolasse. Quin et scribit Epiphanius, a Cambyse Assyriorum rege gladio in femur Apin percussum fuisse, ut scilicet si flueret sanguis, deprehenderetur ipsum non esse deum. Aelianus quoque scribit, a Serapidis sacerdotibus asinum odio haberí, atque

detestari, quod Ochus Persa Apim bouem sacrum interfessisse dicitur, et asinum consecrasse, et Aegyptios iussisse ut illum colerent summo cultu. Sed et Ochus poenas dedit, ut etiam Cambyses. Scribit ad haec Strabo libro decimo septimo, sicuti Memphitae Apim bouem sacrum habuere, ita et Heliopolitanos post Solis templum Mneuin bouem pro deo habuisse, qui in septo quodam nutriretur. Ammianus quoque Marcellinus inter multa quae de Apide scribit libro XXII. historiarum et hoc fere ait: Inter animalia ab antiquis consecrata Neumis et Apis reponuntur. Neumis quidem soli, Apis uero lunae dedicatus: qui diuersis notarum figuris expressus, etc. quare considerandum, an Mneuis, pro Neumis, legendum apud Marcellinum, apud quem et longe plura inuenies. Est enim, inquit, Apis bos diuersis genitalium notarum figuris expressus, maximeque omnium cornicularis lunae speciem, latere dextro insignis, etc. quin, ut Aelianus scribit, et Veneri Vraniae uaccam sacram custodiebant in Hermopoli praefectura, in loco Scussa nuncupato, ut alibi relatum est.

PLVTVS.

De Plutone quidem, Inferorum deo credito a gentibus, satis puto a me perscriptum, nunc subiungere uisum est de Pluto, ipso diuinarum deo, quem et plerique cum Plutone eundem crediderunt, cum diuersissimus sit. Extat quidem particula apud Graecos elegans et erudita ex anonymo auctore de Pluti comparatione, et Virtutis, in qua hic deus Plutus se gloriatur et iactat, mortalium necessitates dirigere ac emendare, et eorum desideria perficere: seorsumque singula commemorat, quae homini suppetit. quam particulam si fortasse desideras, apud Stobaeum legere poteris, in eo Sermone qui inscribitur Ἐπαίνος Πλούτου, id est Pluti laus. Sed et Theognis poeta de hoc eodem ita canit, οὐ σὲ μάτην ω Πλοῦτε θεῶν τιμῶσι μάλιστε, hoc est, Non frustra te Plute colunt o maxime diuum. De hoc ergo sic fabulantur, et in primis Hesiodus, circa finem Theogoniae: Iassium, ait, heroem amatum a dea Cerere, quae illi coniuncta genuit [p.277] Plutum, in Tripoli Cretae insulae: qui fortunatissimus fuit terra marique, ut et alias fortunare soleret. hoc in allegoriam Scholiastes refert. ait enim decenter

fieri, ut Cereris et Iasii Plutus filius dicatur. quoniam, inquit, terra Ceres est, Iasion uero agricola: qui conuenientes in agro Tripoli, hoc est propter cultum terrae decentem, nascitur Plutus. Sedenim Hermippus, qui de sideribus scripsit, ut est apud Hyginum in Astronomico, Cererem ait cum Iasione Leous filio concubuisse: quamobrem fulmine percussum, complures cum Homero dixerunt. meminit et Alicarnasseus Dionysius in primo historiarum. Ex his, ut Petellides Gnossius historiarum scriptor demonstrat, nascuntur filii duo, Philomelus et Plutus, quos negant inter se conuenisse. nam Plutum, qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse: Philomelum autem necessario adductum, ut quodcunque haberet, ex eo boues duos emeret. Et inde primum plastrum fabricatum esse. Itaque arando et colendo agros, ex eo se aluisse. cuius matrem iratam, inuentum ut arantem eum inter sidera constituisse, et Booten nominasse. haec ferme Hyginus. Philostratus autem in Imaginibus, in ortu Mineruae Plutum hunc deum ita effingit: Daemon, inquit, uolucris ut e nubibus, aureus autem a materia in qua appareat: pictus autem et oculatus, iis scilicet quibus ex prouidentia accessit, ut Rhodiis, quibus aurum depluit. Pacem uero manu tenentem Plutum effinxit Cephisiodorus, ut in Boeoticis Pausanias scribit. Plutum etiam puerum in Fortunae manibus, alio loco diximus. Sed plane Plutus hic deus in cognomine eius fabula describitur ab Aristophane. Caecus enim et claudus, interdum contra oculatus et celer. cum enim ad malos mittitur, cellerimus est, et caecus: cum uero ad bonos, sane claudus. Acrem quidam uidendi uim Plutum habere existimauit antiquitas, cum bonis diuitiae conferuntur, qui probe eis uterentur. nam diuitiae si affluant, non illis esse cor apponendum, rex Psaltes cecinit: quin ita illis uti decet, ut de Herode Attico sophista legimus, qui cum ditissimus esset, opibus bene ac magnifice utebatur. hinc illi non caecus, sed oculatus erat Plutus deus. Pro Deus, quotus nunc quisque est, qui hac uirtute polleat? quae, quo uitiae degendae magis est opportuna, eo inter morales rarioer habetur. Sed mittamus quae conclamata, et reliquum nostrae fabulae potius exequamur. Sane et hic deus δειλὸς, id est timidus dictus. primum quidem ab Euripide, δειλὸν θ' ὁ Πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακὸν, hoc est, res timida Plutus, et amicum uitiae malum. Et Aristophanes,

ἀλλὰ λέγουσι πάντες, ώς δειλότατόν ἐσθ' ὁ Πλοῦτος, hoc est, Sed dicunt omnes, quam timidissimus est Plutus. Idem fere et in Timone Lucianus. Hinc adagium commentus est Erasmus, non insulse. Theocriti expositores in decimo Edyllio referunt, cur [p.278] Amor et Plutus caeci fingantur: sed non pauciora Erasmus in illo, Ἀξηλὸς Πλοῦτος, quod finitimum putat illi, Ο τυφλὸς Πλοῦτος. In una omnium urbium, ait Plutarchus, quae sub sole sunt, Sparta, diuitiarum deum seruari et caecum, et iacentem, ut picturam inanimatam ac immobilem. Porro de Pluto etiam Diodorus ex Cretensium historiis: Plutum, inquit, natum tradunt in Tripoli Cretae, ex Cerere et Iasione, ut etiam paulo supra ex Hesiodo recitaui. eius genus tamen bifarium explicat. Nam quidam (inquit) uolunt, cum Iasion terram sereret, adhibita culturae diligentia adeo huberem percepisse fructum, ut qui id conspexerunt, a messium fertilitate Plutum illum nominarint, unde et a posteris is cui census superesset, Plutum habere existimatus sit. Alii Cererem ac Iasionem genuisse Plutum uolunt, qui cultum uitiae pecuniasque coaceruare, ac in usus custodire primus monstrasse existimatus est. Pluti Cereris et Phurnutus meminit: Quoniam, inquit, frumentum et hordeum Plutus optimus, id est diuitiae. id quod graece belle hoc uersu dicitur,

σίτου καὶ κρίθης ὡ νήπιε, πλοῦτος ὄριστος,  
id est,

Hordea frumentumque, puer, sunt munera  
Pluti.

Sane et nostris et Graecis obseruatum est, ut Iasius et Iasion appelleretur. Quidam demum ex nostris, Mammona, Chaldaeam seu Syriam uocem, uolunt Plutum hunc deum significare, de qua multa Hieronymus, caeterique sacri scriptores, qui diuitias uel lucrum interpretantur. Sed enim et Irenaeus, uir doctissimus, libro quarto, capite septimo, iuxta iudaicum sermonem, inquit, quo et Samaritas uti ait, cupidum, et plusquam oportet habere uolentem significare: iuxta uero hebraicam proprietatem adiunctue dicitur. Mam, uel gulosum, id est qui non possit a gula contineri. sane et Mathmon aliquando legimus pro thesauris poni, ut in Iob et Genesi inuenitur: quibus omnibus facile illud Dominicum notissimum. unde nescio quo modo in mentem uenerit amico, uiro eruditissimo, in quadam sua epistola ita scribere: Nam Mamon,

seu Mamona apud Hebraeos, non proprium, sed generale est uerbum, significatque praefectum et praesidem, etc. ne cabalistica hic tibi afferam.

## PROSERPINA.

Proserpinae fabula notissima est ex Claudiani carmine, et Ouidii Metamorpheis Fastisque, atque ideo ab eius ego narratione supersedi: allegoriam tantum, quam ex Varrone D. Augustinus in septimo de Ciuitate dei affert, breuiter recitabo. In Cereris, inquit, sacris praedicantur illa Eleusinia, [p.279] quae apud Athenienses nobilissima fuerunt: de quibus Varro nihil interpretatur, nisi quod attinet ad frumentum, quod Ceres inuenit: et ad Proserpinam, quam rapiente Orco prodidit. Et hanc ipsam dicit significare foecunditatem seminum: quae cum defuisset quodam tempore, eademque sterilitate terra moereret, exortam esse opinionem, quod filiam Cereris, id est ipsam foecunditatem, quae a proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus abstulerat, et apud inferos detinuerat: quae res cum fuisse luctu publico celebrata, quia rursus eadem foecunditas rediit, Proserpina reddita, exortam esse laetitiam, et ex hoc ei solemnia instituta. dicit deinde multa in mysteriis eius tradi, quae nisi ad frugum inuentionem non pertineant. haec Augustinus. Hinc apud Phurnutum legimus, quod sementis tempore Proserpinae festa celerabantur. Cum uero messis esset Cereri sacra, ferebant herbam uirentem, cum ludo et laetitia: in illa raptam, in hac repartam significantes Proserpinam. Eusebius item in tertio Praeparationis euangelicae, Proserpina, inquit, seminum uirtus est: Pluto uero sol, qui tempore hyemis remotiorem mundi partem perlustrat. idcirco raptam ab eo Proserpinam dicunt, quam Ceres sub terra latentem quaeritat. Sed huiusmodi caetera suis locis. Nunc eius nomina et cognomina explicare conabor, si eius tamen de se ipsa responsum prius ascripsero, quod Porphyrius philosophus et Eusebius attulere:

Naturae triplicis dico, Lucina, puella,  
Taurica: itemque triceps, missa e coelo aurea  
Phoebe,

Quam multae uariant formae, quam trinaque  
signa,

Quae terna et simulachra fero, terrae, aeris,  
ignis.

Quippe meis atris terrarum est cura molossis.

Proserpina igitur a Latinis dicta, ut scribit Varro, quod haec ut serpens, modo in dextram, modo in sinistram partem late mouetur. Serpere et proserpere idem dicebant, ut Plautus, qui scribit, Quasi proserpens bestia. A graecis uero Περσέφόνη, et Περσέφονεία dicitur, quibus et latini interdum utuntur. Tibullus,

At mihi Persephone nigram denunciat horam.

Cicero de Natura deorum secundo: Proserpina ea est, inquit, quae Περσέφόνη graece nominatur, quam frugum semen esse, absconditamque quaeri a matre uolunt. Varro, Proserpinam lunam esse uoluit, ex Epicharmi et Ennii sententia. D. Augustinus ait Proserpinam deam existimatam frumentis germinantibus. alibi tamen, eam ait terrae inferiorem partem. Proserpina dicitur et Περσέφονεία a Lacedaemoniis, ut notat Hesychius. Legi et Persephan ab aliquibus appellari. Sed et Φερεφάττα, ut cum Platone Proclus notat in Cratylo. Φερρέφατταν et Apollinem [p.280] (inquit Plato) nominare nonnulli uerentur, propterea quod illis ignota est nominum rectitudo. Etenim permutantes Pherophonem ipsam considerant, graueque id illis appetit. hoc autem deae ipsius sapientiam indicat. sapientia utique est, quae res fluentes attingit, et assequi potest. Quamobrem Pherepapha merito dea haec nominaretur, propter sapientiam et ἐπαφήν, id est contactum φερομένου, id est eius quod fertur, uel tale aliiquid. quocirca adhaeret illi sapiens ipse Pluto, quia ipsa talis est. Nunc autem nomen hoc declinant, pluris facientes prolationis gratiam, quam ueritatem, ut Pherephattam nominent. hactenus quidem Plato: Arnobius libro quinto, de Cerere a Ioue delusa in tauri forma: Parit, inquit, mensem post VII. luculentu filiam corporis, quam aetas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nuncupauit. quam cum uerueceus Iupiter bene ualidam, floridam, et succi esse consiperet plenioris: etc. mox subdit: In draconis terribilem formam migrat, ingentibus spiris pauefactam colligat uirginem, et sub obtenu fero mollissimis ludit atque adulatur amplexibus. fit, ut et ipsa de semine fortissimi compleatur Iouis: sed non eadem conditione, qua mater. nam illa filiam reddidit lineamentis descriptam suis, at ex partu uirginis, tauri

specie fusa Iouialis monumenta pellaciae. auctorem aliquis desiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, notumque senarium, quem antiquitas canit dicens: Taurus draconem genuit, et taurum draco. ipsa nouissime sacra, et ritus initiationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt ueritati. In quibus aureus coluber in sinum dimittitur consecratis, et eximitur rursus ab inferioribus partibus, atque imis. haec quidem erudite Arnobius. Porro et Eusebium audiamus, de eadem loquentem: Ceres, inquit, Persephonen peperit, educatur puella, κόρη scilicet. Pherephattem nonnulli appellant: cui Iupiter, qui genuit, draco factus coniungitur. unde in Sabaziorum mysteriis draco in spiram inuolutus, in sacrificiis, ad factorum memoriam, immo uero in testimonium tantae turpitudinis, ut sic dixerim, adhibetur. Peperit et Pherephatte tauriformem filium, unde poetae quoque nonnulli taurum laudant draconis patrem, et draconem rursus tauri patrem. Et in montem arcana haec facta ducentes, pastoralem stimulum celebrant: pastoralem (ut puto) stimulum, ferulam, quod ligni genus bacchantes ferunt, appellantes. Sed nequeo latius huius Pherephattae sacra enarrare, quassillum, rapinam Edoneae, terrae hiatum, sues Eubolei, quas eodem hiatu simul et duas deas absorptas fuisse aiunt. unde Megarenses in Thesmophoriis sues immittunt. Quae sacra uariis modis mulieres, quoniam haec fabula uarie narratur, [p.281] per ciuitates Graecie celebrant, Thesmophoria, Σκιροφόρια, et Ἀπορρήτοφόρια uocantes, et multis modis Pherephattae rapinam complorantes. Haec uero Eusebius. hinc et sacra Pherephattia Proserpinae dicta inuenimus, quae et Theogamia, et Anthespatoria uocata, ut in Luculli uita Plutarchus innuit. Sed et Hesychius Phersephoneam ait appellari, quasi φέρουσαν τὸ ἄφενος, hoc est ferentem diuitias, propterea quod fructus afferat utilitatem. Vocatur etiam eodem auctore Χειρογονία, quod scilicet manuum opera fructus terrae gignantur. Kóρη etiam, id est puella, Proserpina dicta est frequenter a Graecis, etsi alicubi Artemidorus diuersam facere uidetur, de Interpretatione somniorum. Ita tamen in secundo scribit: Bona est, inquit, Ceres ad Nuptias, et alias omnes res aggrediendas, per se conspecta: non autem pari modo Kóρη, propter historiam quae de ipsa fertur. haec

enim saepe etiam oculis somniantis periculum adduxit, propter nomen Kóρη. etenim etiam in oculo pupillam significat. Phurnutus uero, ubi de Cerere agit: Non virgo, inquit, Ceres, quae Kóρη peperit, tanquam τὸν κόρον, id est satietatem. Nam dea Ceres ipsa materia putabatur, quae ad satietatem usque nutriret. Sed et in Cratili scholiis, quae Proclo ascribuntur, de Core multa habentur. haec et Ἀρρήτος Kóρη, teste Hesychio et Euripide in Alexandria, dicta est.

Azesia Proserpina, praecipue a Troezeniis culta et cognominata fuit, ut in Amaea Cerere scripsimus. Vnde prouerbium Amaea ad Azesiam. Chthonia praeterea dea cognominatur, et Hecate, ut pluribus ostendimus in Hecate Diana. Sed nostri poetae Iunonis nomine frequentius nuncupant: nunc Stygiam appellantes. Papinius, Stygiaeque seueros Iunonis thalamos. nunc Auernam: Silius: Comites Iunonis Auernae. nunc profundam: Claudianus, Caligantesque profundae Iunonis thalamos. Interdum infernam et inferam: Vergilius Iunoni infernae dictus sacer. Et Statius, Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.

Deois Proserpina cognominata est a Δῃώ, id est Cerere, forma patronymica. Ouidius in libro Metamorphoseon VI.

Mnemosynen pastor, uarius Deoida serpens.

Ausonius in Cupidine:

Virgineas inter choreas Deoida raptam.

Libera etiam uocatur, ut in Libero dictum est. Sed M.T. Ciceronis uerba hoc saltem loco afferam, ex sexta in Verrem actione. Vetus est, inquit, opinio (iudices) quae constat ex antiquissimis Graecorum literis atque monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri et Liberae consecratam. hoc enim caeterae gentes sic arbitrantur: tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atque innatum esse uideatur. nam et natas esse in his terris deas, et fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, et raptam esse Liberam, quam [p.282] eandem Proserpinam uocant, ex Ennensium nemore. qui locus quod in media est insula situs, umbilicus Siciliae nominatur. Et haec totidem uerbis Cicero.

Cyzicorum dea dicta est Proserpina, teste Stephano. hoc clarius multo etiam Plutarchus in Luculli uita ostendit. ait enim, ipsum Lucullum Cyzico appulisse, quo tempore Proserpinae sacra instabant, ubi et miraculum

nigrae bouis, quae quotannis illi mactabatur, commemorat. hinc ergo Poeta in Priapeis, Raptam Cyzicos ostreosa diuam.

Sane raptam etiam Proserpina cognominata est. Varie uero de loco legitur, in quo raptam sit. Plures ex Sicilia. Bacchylides ex Creta, Orpheus ex locis proprie Oceanum, Damias in conuallibus, hoc est ἐν νάπαις, ut Scholiis in Hesiodum legi. Pausanias uero in Corinthiis ait, a Lerna non longe, ubi fluuius Chimarus labitur, septum esse lapideum, in quo Proserpinam ferunt a Plutone raptam, ad inferos descendisse. alii septum hoc supra Megaram tradunt, quo in septo lucus, in quo arbores quidem aliae permultae, sed et olea et πρῖνος, quam ilicem plures interpretantur. quae ex eadem radice coortae credebantur.

Locrensis Proserpina, a Locris Italiae cognominata, de qua et Valerius Maximus et Lactantius, sed copiosius T. Liuius libro nono III. Decadis in nobili illa Locrensum oratione: Fanum est apud nos (inquit) Proserpinæ, de cuius sanctitate templi credo aliquam famam ad uos peruenisse, Pyrrhi bello, qui cum ex Sicilia rediens Locros classe praeterueheretur, inter alia foeda, quae propter fidem nostram erga uos in ciuitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diem spoliauit, atque ita pecunia in naues imposita, ipse terra est profectus. Quid ergo euenit, P.C. Classis postero die foedissima tempestate lacerata, omnesque naues, quae sacram pecuniam habebant, in littora nostra eiectae sunt: qua tanta clade eductus tandem deos esse superbissimus agnouit Rex, pecuniamque omnem conquisitam in thesauros Proserpinæ referri iussit. meminere et alii scriptores.

Axiocersa Proserpina dicta putabatur in Cabirorum sacris, et Samothracum, ut copiosius alibi ostendimus.

Δέσποινα, id est domina, Proserpina cognominata fuit, licet confundere videatur Pausanias in Arcadicis. tamen mox manifeste ostendit Proserpinam significare, et praecipue cum duas statuas seorsum describit, Cereris et Despoenae. Sed et Vergilius in sexto, Dominam eadem ratione illo uersu intelligit:

Hi dominam, Ditis thalamo deducere adorti.

Sedenim Δέσποινα Arcades non Iouis, sed Neptuni filiam asserunt, et in huius deae templo de omnibus arborum fructibus primitias offerre consueuerant, exceptis malis punicis. id scilicet innuentes, quod ideo matri

non [p.283] restituta fuisset Despoena, id est Proserpina, quia grana punica gustasset, Ascalapho deferente: qui in bubonem ideo deformatus, ut est in primis in Metamorphoseis Ouidii.

Θῆρα, id est Fera, cognominata Proserpina, ut Pausanias in Boeoticis notat.

Πρωτογόνη, id est Primogenita eadem dicta est, teste eodem in Attica. quin et Arcades Soteram, id est Seruaticem Proserpinam uocabant. Pausanias. Έτάρη etiam uocata: Hesychius. Et Μελιτώδη, quod etiam repetit Coelius Rhodiginus.

Δάειρα, quae et Δαίρα, propter metrum, et per syncopen legitur, Proserpinæ nomen fuit, ut Apollonii Rhodii interpretes in tertio Argonauticon obseruant, super carmen illud,

Δαίραν μουνογένειαν εὸν δέμας ικμαίνοιτο. quo loco et Timosthenes et Aeschylus pariter citantur. Quin etiam uidemus eandem et Vnigenam, hoc est Mouνογένην uocatam: de qua repete quae in Hecate scripsimus. A Δάειρα uero Δαειρίτης deducitur, id est Proserpinæ sacerdos, ut Pollux innuit. Eadem et Νυχία, hoc est nocturna uocabatur.

Cotytto Proserpinam dictam, quadam coniectura ducti putauere nonnulli, sic canente Iuuenale:

Talia secreta coluerunt orgia taeda,  
Caecropiam soliti Baptae lassare Cotytto.

Sacra enim haec uidentur conuenire mysteriis secretis Cereris et Proserpinæ, celebratis ab Atheniensibus, quae Cotyttia a dea dicerentur. unde in poematiis Vergilianis illud,

Non me uocabis pulchra ad Cotyttia,  
Ad feriatos fascinos, etc.

Et Horatius in Canidiam:

Inultus ut tu riseris Cotyttia.

quo loco Porphyron ait, sacra esse inferorum. Sed ridicule ait, forsitan deduci a Coccyto fluuiio inferorum. Quin et Merula Cocyon in Iuuenale Proserpinam interpretatus est, illud perperam citans, Raptam Cocytos ostreosa diuam. quare etiam Domitium merito et illum ridet Politianus, qui Baptas ait sacerdotes eius deae nuncupatos, unde nomen fabulae factum, et caetera quae capite X. Miscellaneorum doctissime est executus. Sed miror illum Hesychium non allegasse, qui de Cotytto ita scribit: Cotytto, inquit Eupolis, propter odium quod aduersus Corinthios habebat, daemonem hunc odiosum et inimicum induxit. hinc Cotyttia celebritas,

quae et Κοτυττίς de quibus sic apud Plutarchum, si modo Plutarchi liber ille Proverbiorum, ἀρπαγὴ Κοτυττίοις, Rapt Cotytiis. Κοτυττίς, inquit, ἔορτή τισ ἐστι σικελικὴ, ἐν ᾧ πρὶ τινας κλάδους ἔξαπτοντες, πόπανα καὶ ἀκρόδρυα ἐπέτρεπον ἀρπάζειν. hoc est, Cotyttis festum erat quoddam apud Siculos, in quo [p.284] placentae et arborum foetus ramis alligabantur, eaque diripienda proponebantur. putauerim ego id institutum propter Proserpinae raptum in Sicilia. Porro Suidas Cotyn daemonem fuisse scribit Corinthiorum: alii Thracum, in rebus turpibus. Strabo libro decimo, Bendidia et Cotyttia simul enumerat, item deam Cotyn. item et Synesius in Epistolis.

## PARCAE.

Μοῖρα, καὶ Αἴσα uocata graece, et Κῆρ intedum. Parcae uero a nostris dicuntur κατὰ τὴν ἀντίφρασιν, hoc est, per contrarium. ut ait Seruius, quod nemini parcant. Parcas tres existimabant ueteres: unam loqui, alteram scribere, tertiam fila deducere. et propterea Parcas, scribas ac librarias superum uocat Martianus: Clotho, inquit, Lachesis, Atroposque, quoniam sententias Iouis orthographae studio ueritatis excipiunt, utpote librariae superum, archiuique custodes. Sic et eas Ioui Phurnutus tribuit, Plutoni uero Fulgentius. Tria, inquit, ipsi Plutoni destinant Fata, quarum prima Clotho, secunda Lachesis, tertia Atropos. Clotho enim graece euocatio dicitur. Lachesis uero sors nuncupatur. Atropos quoque sine ordine dicitur: hoc uidelicet sentire uolentes, quod prima sit natuitatis euocatio: secunda uitae sors, quemadmodum quis uiuere possit: tertia mortis conditio, quae sine lege uenit. Sedenim haec Fulgentii theoria cum his quae a Graecis traduntur, parum consona uidetur. Illi enim Μοῖρας, id est Parcas, a diuidendo et distribuendo unicuique sua, dictas arbitrantur. et Clotho quidem, παρὰ τὸ συνεκλῶσθαι καὶ συνείρεσθαι, quod scilicet reuolat et contrahat omnia. Lachesis uero, παρὰ τὸ λαχχάνειν τὸ πεπρωμένον, id est, quod fatum sortiatur. Atropon autem, quoniam ἄτρεπτον, quasi inuertibilis sit, et incommutabilis. Sunt uero qui Parcas ita interpretentur. per Clothon septem planetas, per Lachesin res sublimares: per Atropon autem Aplanen, id est inerrantem sphaeram. Alii Clotho praesenti tempori,

Lachesin futuro, Atropon praeterito, ut ait Aristoteles. Porro ne a nostris recedamus, sunt qui eas ita statuant, ut una colum teneat, altera fusum, tertia filum rumpat: uitae cursum statumque designantes. et hoc uersu id innuunt:

Clotho colum retinet, Lachesis net, et Atropos occat. Hesiodus poeta Parcas Nocte et Herebo natas cecinit, propter occultam et abditam fatorum uim. Lycophron, Maris puellas dixit, ob feram et immitem fatorum legem. Illud certe mirum uideri potest, cur ab Hesiodo in Theogonia bis Parcarum [p.285] generationem factam legamus. Nam non longe a principio, Μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίουντο, ait, de Noctis et Herebi filiis loquens. non longe uero a poematis calce, Iouem dicit stabilito regno post Titanum bellum, Themidem duxisse uxorem, ex qua inter caeteros filios genuit,

Μοίρας θ' αἵς πλείστην τιμὴν πόρε μητίεται Ζὰς,

Κλωθώ τε, Λάχεσιν τε, καὶ Ἀτροπον, hoc est,

Parcas, Iuppiter bis dederat rex plurimum honoris,

Clothoque, et Lachesin, simul Atropos.

Sed quoniam Parcas diximus ex eruditorum sententia appellatas, quod minime parcant: Varro tamen apud Gellium libro tertio, nomina Parcis antiquos ait fecisse a pariendo, et a nono atque decimo mense. nam Parca, inquit, immutata litera una, a partu nominata. item Nona et Decima, a partus tempestui tempore. Cesellius autem Vindex in lectionibus suis antiquis: Tria, inquit, nomina Parcarum sunt, Nona, Decima, Morta. Et uersum hunc Liuui antiquissimi poetae ponit ex Odyssea,

Quando dies adueniet quem profata Morta est.

Sed homo minime malus Cesellius, Mortam quasi nomen accepit, cum accipere quasi Μοῖραν deberet. atque haec quidem ille. Alii Parcarum haec nomina esse uoluerunt, ut recitant Marsilius Ficinus in Platonem, et Socinus Bentius medicus et philosophus, in eo qui est de Felicitate: Vestam, Mineruam, et Martiam, uel Martem. Effingebant eas antiqui tanquam anus, niueis uelleribus redimitas, quibus et narcissum attribuebant florem. Sed elegantissime a Catullo finguntur his uersibus, in Pelei et Thetidis epithalamio:

Cum interea infirmo quatientes corpora motu,

Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.

His corpus tremulum complectens undique uestis,

Candida purpurea talos incinxerat ora,  
Et roseo niueae residebant uertice uitiae,  
Aeternumque manus carpebant rite laborem.  
Laeua colum molli lana retinebat amictam.  
Dextera tum leuiter deducens fila, supinis  
Formabat digitis, tum prona in pollice  
torquens

Libratum tereti uersabat turbine fusum:  
et caetera, quae apud ipsum poetam  
doctissimum leges. neque enim eas quisquam  
pictura magis graphice formare potuisset.  
Parcarum uero numerus, ut Eusebius ait, et  
nomina ipsarum, et fusus, et glomeratum in eo  
filum, caeteraque huiusmodi, ineuitabilem  
determinationem causarum ostendere  
arbitrabantur. hinc Plato in X. de Republica,  
Alias autem, inquit, [p.286] tres Necessitatis  
filias aequali inuicem interuallo in throno  
sedere, Parcas uestibus albis, capite coronato,  
Lachesin, Clotho, Atropon. quae ad Sirenum  
harmoniam canant, Lachesis quidem  
praeterita, praesentia Clotho, Atropos uero  
futura: et caetera, quae multa eo loco de  
Parcis, et earum matre diuus philosophus  
disserit: quae si quando otium suppetit, legere  
poteris. De Parcis plura itidem leges in libris  
de Legibus apud eundem Platonem. item  
Chrysippus multa scripsisse dicitur, ut a  
Diogeniano reprehenditur apud Eusebius.  
Fatum dicit, dictum quoddam,  
determinatumque diuinitus esse: Parcas autem  
e contrario, quoniam nemini parcant: Sortes,  
quia ita sortitum unicuique sit. Atque ideo tres  
esse Parcas arbitrabantur, quia tria sunt  
tempora, quibus omnia inuoluuntur:  
Lachesinque dictam esse, quia λαχύστειν  
graece, euenire per sortem designat: Atropon,  
quia uerti non possit: Clothon, quoniam  
contorta et coordinata omnia teneat: et  
caetera, quae contra fatum disputat Eusebius  
in sexto Praeparationis euangelicae.

Aesan etiam, hoc est Αἰσσαν diximus Parcam  
uocari: hoc est, latentem et minus notam  
eorum quae fiunt causam. Αἴσσα uero  
nuncupata est, ut Phurnutus innuit, quasi ἀξί<sup>ο</sup>  
οῦσα, id est semper existens.

Eιμαρμένη etiam Parca, et Fatum dicitur, sed  
cuius uerbis potius eam describemus, quam M.  
Tullii? qui Velleium inducit ita loquentem: Hic,

inquit, nobis existit primum illa fatalis  
necessitas, quam Εἰμαρμένη dicitis, ut  
quicquid accidat, id est aeterna ueritate,  
causarumque continuatione fluxisse dicatis.  
Sed de Imarmene etiam plura Phurnutus de  
Deorum natura, item Aristoteles, et Apuleius  
de mundo. Proclus in Commentariis Hesiodi  
in Ἔργοις, Stoicos ait appellare Imarmenen  
Διὸς νοῦν, super ea Hesiodi uerba οὕτι πῇ ἐστὶ<sup>ο</sup>  
Διὸς νόον ἔξαλέασθαι, id est, nusquam est  
Iouis mentem aufugere. Chrysippus:  
Imarmene, inquit, sempiterna quaedam et  
indeclinabilis rerum series, et catena, sese  
uoluens et implicans per aeternos  
consequentialiae ordines, e quibus connexa est.  
His conformia scribunt et Phurnutus, et  
Boetius in Topicis. Εἰμαρμένη uero dicta, διὰ  
τὸ εἴρειν τε καὶ χωρεῖν ἀκολούθως, id est  
quoniam trahat et cedat consequenter.  
Hesychius ait, Imarmenem a Cretensibus  
uocari Ἀμεργὸν. Plurimi etiam Ἄνάγκην, id  
est necessitatem, cum Imarmene describunt,  
inter quos Phurnutus, qui ait: Anance est,  
quam cogere aut uincere non possumus,  
siquidem ei omnia ut ad causam referuntur.  
Varro, Fatum a fando dictum ait, quod pueris  
Parcae constituant fando dictum Fatum, et res  
fatales: quidam et Parcarum manes dicunt.

”Οπις quoque Parca dicta, dicta est ἀπὸ τοῦ  
λανθάνειν ὄπισθεν, id est a retro occultando,  
et obseruando nostra facta, et quae punienda  
sunt, puniendo. [p.287]

Πεπρωμένη uero dicta, διὰ τὸ  
πεπερατῶσθαι πάντα, id est, quod omnia  
terminata sunt, et nihil sit in iis quae sunt in  
infinitum.

Lanifcae Parcae a nostris cognominatae  
sunt, quod pensa et stamina uitiae humanae  
trahant candida, uel argentea, id est felicia, uel  
ferrea et pulla: uel nigra, id est infelicia.  
Martialis:

Si mihi lanifcae ducunt non pulla sorores  
Stamina,

Tetricae Parcae, et Sorores etiam uocantur,  
quod nemini parcant.

Idem Martialis,

Ruperunt tetricae cum mala pensa deae.

Hinc et a Graecis Ἀμετάτρεπτοι dicuntur,  
id est inconuertibiles.

Adrastiam et Nemesin cum his coniungit  
Phurnutus. Sed ipse in eo, in quo de Fortuna  
aegi, eas copiose sum executus. Tu inde petas.

FVRIAЕ.

Quas latini Furias appellauere, graeci Erinnies, et Eumenides in primis dixere. has et Plutoni deseruire, prodidit antiquitas. hinc Vergilius,

Hae Iouis ad solium, saeuique in limine regis  
Apparent, acuuntque metum mortalibus  
aegris,

Si quando lethum horrificum, morbosque  
deum rex

Molitur meritis, aut bello territat urbes. Et  
caetera.

Hisdem etiam ueteres commotae mentis  
affectus adumbrabant, propterea que furoris  
deas existimabant. Semper uero virgines etiam  
proverbio dictae, quod cum malefactorum  
ultrices sint, facile corrumpi non possint, quin  
etiam poenas de delinquentibus sumunt:  
Suidas auctor. Cicero pro Roscio Amerino:  
Nolite putare, quae admodum in fabulis  
saepenumero uidetis, eos qui aliquid impie  
scleranteque commiserint, agitari et perterriti  
Furiarum taedis ardenteribus: sua quemque  
fraud, et suus terror maxime uexat. Et paulo  
post: Hae sunt impiis assidue domesticaeque  
Furia, quae dies noctesque parentum poenas  
a conseleratissimis filiis repeatant. Idem Cicero  
in primo de Legibus: Agitant et insectantur  
impios Furiae, non ardenteribus taedis, sicut in  
fabulis, sed angore conscientiae. Suetonius de  
Nerone: Saepe confessus exagitari se materna  
specie, uerberibus Furiarum, ac taedis  
ardenteribus. Sed omnis hac de re plena est  
Tragoedia. Erinnies quidem ideo sunt  
uocatae, quasi ἔρις νοῦς hoc est mentis lis.  
Eumenides uero per contrarium εὖ καὶ μένος,  
quasi non bona mens. Erinnias Hesiodus  
natas fabulatur ex sanguinis guttis  
pudendorum Coeli, in terram cadentibus.  
quidam Noctis et Herebi filias dixerunt, ut  
Lactantius ait in Thebaide. Alii Acherontis.  
Orpheus in Hymno.

Αγναὶ θυγατέρες μεγάλοιο Διὸς Χθονίοιο,  
[p.288]

Περσεφόνης τε, id est,  
Castae filiae magni Iouis terrestris, et  
Persphones.

Furia uero frequentissime in tragediis  
introducuntur. unde Aristophanes in Pluto, de  
Paupertatis dea, Πενία ἵσως Ἐριννὺς ἐστίν ἐκ  
τραγωδίας, hoc est, Fortassis est erinnys ex  
tragedia Paupertas. Propertius, Tum me uel  
tragicae uexitis Erinnies. scribit Strabo libro  
Geographicon quarto, apud Cassiteridas

insulas homines esse colore fusco, tunicis ad  
talos demissis, cingulo pectus incinctis,  
baculosque manu gestare, Furiis persimiles.  
quibus ex uerbis Furiarum habitum colligimus.  
Horrendum aspectum furiis Phurnutus  
ascritbit, et igne ac flagello impios et noxios  
insequi. Furiis primus Aeschylus dicitur crines  
anguibus implicitos affinxisse, quas Cerastas  
poetae appellant: Claudianus de Alecto:

Mollia lambentes finixerunt membra  
Cerastae.

Idem:

Alecto stetit in medio, uulgusque tacere  
Iussit, et obstantes in tergum reppulit  
angues,

Perque humeros errare dedit.

Hinc etiam ab Orpheo Ὀφιοπλόκομοι  
dicuntur, quasi dicas serpenticomae. Idem  
scribit et Phurnutus. sic a Vergilio Alecto  
describitur,

Luctificam Alecto dirarum a sede sororum,  
Infernisque ciet tenebris, cui tristia bella,  
Iraeque, insidiaeque, et crimina noxia cordi.  
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores  
Tartareae monstrum, tot sese uertit in ora: et  
caetera, quae sequuntur.

De Tisiphone uero Ouidius,

Nec mora, Tisiphone madefactam sanguine  
sumit

Importuna facem, fluidoque cruore  
rubentem

Induitur pallam, torto que incingitur angue.

Mox comites illi adiungit, Terrorem,  
Pauorem, et Insaniam. plures addit Claudianus  
in Ruffinum, et item Statius in Thebaide,  
quorum uersus, ne nimius sim, missos facio.  
Hae uero Furiae tres sorores dicuntur, Alecto,  
Tisiphone, et Megaera. quidam et quartam  
addunt, Lyssam, id est, Rabiem. unde  
Euripides in Hercule furente, Irin inducit  
Iunonis iussu Lyssam adducere, quae Herculi  
furorem ac rabiem iniiceret. Est autem Lyssa  
dea, ut idem ait, Noctis filia, ex Coeli sanguine.  
haec rabiem immittere fingebatur, et centum  
serpentum capitibus sibilantibus caput  
incinctum, manu uero stimulum gestare. Sic  
uero de Furiis scribit Isidorus: Aiunt et tres  
Furiae antiqui, foeminas crinitas serpentibus,  
propter tres effectus, qui in animis hominum  
multas perturbationes gignunt, et interdum  
cogunt ita delinquere, ut nec ad famam, nec ad  
periculum sui respectum habere permittant.  
[p.289] Ira, quae uindictam cupiditas,  
quaes desiderat opes. Libido, quae appetit

uoluptates. quae ideo Furiae appellantur, quod stimulis suis mentem feriant, et quietam esse non sinant. De Furiis uero Fulgentius ita: Prima, inquit, est Alecto. Alecto enim graece impausibilis dicitur, παρὰ τὸ α, καὶ λίγομαι, quod non desinat. altera, Tisiphone. Tisiphone autem, quasi τούτων φωνῇ, id est, istarum uox, (inconcinna mihi quidem uidetur etymologia. nam potius a τίσις καὶ φόνος deducitur, hoc est, uindicta et caede. quod et Vergilius ostendere uidetur, cum ait,

Continuo sontes ultrix accincta flagello  
Tisiphone quatit insultans, toruosque sinistra  
Intentans angues) Sequitur Fulgentius: Primum est ergo, non pausando Furiam concipere: secundum est, in uocem erumpere: tertium, iurgium protelare. quae interpretatio, licet mihi parum arrideat, ascribere tamen eam placuit. est enim uulgarem secutus humanae naturae rationem. Megaera uero dicta ab odio et inuidia, quae mortalibus iniicit. μεγάρω quippe id significat. Orpheus duos hymnos his deis concinuit, quorum tamen prior in uetustis et manuscriptis codicibus hanc habet ἐπιγραφὴν, Ἐριννών θυμίᾳμα στύρακα καὶ μάνναν, licet in impressis aliter. alter uero habet, Εὔμενίδων θυμίᾳμα ἀρώματα. In priore, earum trium nomina uno uersu explicat,

Τισιφόνη τε, καὶ Ἀληκτὼ, καὶ δία Μέγαιρα,  
id est,

Tisiphone, nec non Alecto, et dia Megaera. Ideo uero Furiae apud inferos esse dicuntur, quoniam causae parum notae plerunque, ut ait Phurnutus, in occulto sunt, nec uidentur, et iis in primis qui meriti sunt. Porro ut est apud Aelianum, turtures aues Furiis ab antiquis dicatae putabantur, sed et Parcis, ac Veneri, et Cereri.

Eumenides Furiae nuncupatae, ut dictum est, per contrarium, quod minime beneuolae sint, et mites. in has Orpheus hymnum composuit, ut ante meminimus: ultricesque uocat hominum impiorum et iniistorum, hoc est ἀσεβούντων, τῶν τ' ἀδίκων τιμωροὶ. Seneca: Adeste sceleris ultrices deae. Cognominantur et κυνόχρωτοι, quod obscuro corpore fingantur, et βλοσυροινύχιαι, et φοβερῶτες quod et unguibus et aspectu terribiles sint. Scribit M. Cicero. Athenis Eumenidum fanum fuisse, ut planius dicam ἐν Σεμναῖς θεοῖς. Has quidam et Μανίας uocant, id est furentes, ut ait Pausanias. Legimus Maniarum templum fuisse apud Messenios.

Eumenides plerunque cum facibus finguntur, ut apud Tragicos uidemus. hinc Vergilius, Eumenides tenuere faces. Idem: Ferreique Eumenidum thalami. quo loco Seruius scribit: Furiae nunquam nupserunt, unde igitur thalamos accipimus? Sed accipendum, in quibus natae sunt, [p.290] et caetera. Eumenidum sacerdotes Λήτειραι dictae sunt, ut Hesychius notat.

Σεμναὶ θεαὶ dicuntur Erinnyes. Arpocation scribit, Athenienses sic uocare, quasi dicas deas castas, et incorruptas. Pausanias in Corinthiacis ait, Semnas a Sicyoniis, Eumenidas dici ab Atticis. in Attica tamen etiam ait: Iuxta dearum, inquit, templum quas Σεμνὰς uocant. Sophocles de his multa, praecipue in fabula Oedipi Epicolono. has uocat Hesiodus in Theogonia Erinnyes. de Semnis deis, et Phornutus, et Apollonii interpretes. Semnis his deis oves praegnantes immolabant, et melicratum. Philemon poeta comicus diuersas Eumenidas et Semnas fecit in fabulis.

Palaestinas deas Furias cognominatas ab Ouidio, docti quidam arbitrantur. ita enim ille canit in quarto Fastorum de Aty furente:

Et modo tolle faces, remoue modo uerbera,  
clamat,

Saepe Palaestinas iurat adesse deas.

Palaestae quidem locus Epiri apud Oricum, ut Lucanus in quinto Pharsalia innuit:

Inde rapi accepere rates, atque aequora classem

Curua sequi, quae iam uento, fluctuque secundo

Lapsa, Palaestinas uncis confixit arenas, etc.

Caesar in Commentariis ciuibis: Ad eum locum qui appellatur Palestae, omnibus nauibus ad unam incolumibus milites exposuit. etsi exemplaria pleraque pro Palestae, Pharsalia legunt. Eum uero locum Palestae dictum aliqui putant, quoniam geminae columbae fatidicae e Syria Dodonam euolauerunt, quae Palaestinae sunt appellatae. in illis quoque fuisse inferorum ostium ferunt, item Acherusiam: item de Aidoneo, id est Plutone quae traduntur, et Proserpina. Sed et quidam Herculem ea parte Cerberum traxisse prodiderunt. hinc eruditii coniectura ducti, Palaestinas deas Furias interpretati sunt. Sed et Marsus ait, se a graeco accepisse, in commentariis peruetustis legisse, Furiarum templum in Epiro fuisse: itemque in altero graeco codice uetustissimo. Ego uero nihil

ultra, nisi quod lego apud T. Liuium in quintae Decadis libro tertio, Penestiam regionem ac terram esse Illyrici. Tertio, inquit, die ad Vscana Penestiana terrae, ea maxima urbs est. Tum paulo infra: Vscanensibus Illyriisque uenditis in Penestiam exercitum Perseus reducit. Item alibi, Penestas. Vide uero tu an Penestinas deas legendum sit, potius quam Palaestinas. Non me praeterit, et Philippum Beroaldum de his suam potius opinionem quam sententiam attulisse. Palaestinas enim deas ait, deam Syriam, et Phrygiam Cybelem: nec absurdum esse, ex D. Augustini sententia multas deas ad unam reuocare, ut non tam sint deae multae, quam multa unius nomina. hinc putauit Beroaldus, Ouidium deas appellasse Palaestinas, perinde ac Furias, quod scilicet in Syria Palaestini sint. [p.291]

Harpyiae, seu Furiae, seu fabulosae deae quaedam dicuntur: Vergilius,

Virgineus quibus est uultus, foedissima uentris

Proluuiies, uncaeque manus, et pallida semper

Ora fame.

Tres fuerunt, Aello, Ocypete, et Celeno: licet quidam quartam addiderint, Thyellam. Apollonii tamen interpretes, Thyellas, procellas et procellosos flatus interpretantur. Hesiodus et Apollonius duas tantum nominant Harpyas, quas Iridis sorores fabulati sunt antiqui, Thaumantis filias, et Electrae Oceani. Sicenim canit Hesiodus in Theogonia:

Θαῦμας δέ Ωκεανοῖ βαθυρρέίταο θύγατρα,

ἥγαγε τὸν Ἁλέτρην, ἥδ' ὡκεῖσιν τέκεν Ἰριν,  
ἥγκόμους δέ τὴν Αρπυίας, τὴν Αελλώ τὸν Ωκυπέτεν  
τε. hoc est, Thaumas filiam Oceani profundi  
Electram duxit, quae grauida peperit Irin, et  
pulchricomas Harpyas, Aello et Ocypeten. etc.  
Idem apud Lycophronem Isaicius refert.  
harum suo more Fulgentius allegoriam  
commixtum: ex illo eam repete, ne plura  
inculcem. Hae et rapaces aues dicuntur, ait  
Phauorinus, Phinei filiae, Gerasia et Harpyria,  
cibaria rapientes ex ore senis. Alii Harpyas  
uentorum conuersiones interpretantur, et  
uentos ipsos: alii Neptuni filias et Terrae  
scribunt. Seruius grammaticus, Ponti et Terrae:  
et ideo ait eas insulas habitare, partem terrae,  
partem maris tenentes. quidam eas aues et  
uolucres dixerunt, unde illis Vergilius et  
Apollonius plumas addunt: ut illud,

Sed neque uim plumis ullam, nec uulnera tergo Accipiunt.

quod tamen dictum Donatus interpretatur,  
quod Stygiae essent, et propterea inuulnerabiles. quam interpretationem non  
recipit Seruius. Alii Harpyas Iouis canes dictas  
uolunt, quos sequitur idem Seruius in tertio  
Aeneidos commentario. inquit enim, cum  
Zetus et Calais Boreae filii eas insequerentur  
ad Plotas usque insulas, Irin eis apparuisse,  
quaes illos moneret, ut canes Iouis insequi  
desisterent. hoc est, ut his uerbis canit in  
secundo Apollonius:

Non fas, o nati Boreae, uos ensibus alti  
Harpyas urgere canes Iouis.

Sed nescio quo pacto longe dulcius graece  
sonat:

Οὐ θέμις ω̄ νίεῖς Βορέου ξιφέεσσιν ἔλάσαι  
Αρπυίας, μεγάλοιοι Διὸς κύνας.

Illud tamen hoc loco notandum, quod  
Apollonii commentatores scribunt, decentius  
Irin missam nunciam filiis Boreae, ut  
desisterent: uel quod ipsa nuntia sit, uel potius  
quod ipsarum Harpyiarum soror esset. nam alii  
Mercurium missum aiunt, inter quos est  
Hesiodus. ab ea uero conuersione, Zeti scilicet  
et Calais, insulae Plotae, Strophades appellatae  
sunt: quod iidem poetae Apollonius et  
Vergilius, et ante eos Antimachus in poemate  
Lydes [p.292] cecinit. Sane et Furiae  
existimatae sunt, unde Celaeno apud  
Vergilium:

Vobis furiarum ego maxima pando.

Quare palam est, et canes appellatas esse  
Furias. Lucanus:

Stygiasque canes in luce superna restituunt.

Vergilius,

Visaeque canes ululare per umbram,  
Aduentante dea.

Horatius in Sermonibus:

Viderit infernas errare canes.

Illud insuper addit Seruius, apud inferos  
Furias dici, et canes: apud superos diras, et  
aues: ut ipse idem Vergilius in duodecimo. In  
mundo uero Harpyiae dicuntur. eas item ait  
καμψόνυχας, hoc est uncungues. Et ut  
Vergilius ait, uncaeque manus: aemulatus  
Apollonium, qui in secundo cecinit χειρῶν τὸν  
ἀπὸ γαμυλῆσι συνεχέως ἥρπαζον, id est,  
manuum curuitatibus continenter rapiebant.  
Canit et hoc idem Poeta, fugatas Harpyas a  
Zeto et Calai, et se in specum abdidisse in  
insula Creta sub Arginunte, ut etiam  
Neoptolemus et Pherecydes prodiderunt.

Porro Harpyarum nomen in proverbum tractum est, de rapacibus, et iis qui plus iusto opes per fas et nefas exigunt.

Dirae quidem apud superos dicuntur. Vergilius:

At procul ut dirae stridorem agnouit, et alas,  
Infelix crines scindit Iuturna solutos.

Idem:

Dicuntur geminae pestes, cognomine Dirae,  
Quas, et tartaream Nox intempesta  
Megaram,

Vno eodemque tulit partu.

Plutarchus in uita M. Crassi, Acteium scribit his uerbis diras imprecatum esse: Acteius, inquit, in urbem citato gradu accurrens, in uia per quam Crassus iter facturus erat, succensam cratem constituit. cumque in eum locum Crassus peruenisset, assistens Acteius, et sacra quaedam ac libationes faciens, diras admodum atque horrendas execrationes obnunciauit, deos quosdam inauditos antea et horrendos nomine compellans. has imprecatioes Romani diras appellant, quas nunc quasi uetustate obsoletas, eam uim obtinere dicebant, ut qui illis obnoxius fuisse, grauissimas poenas dare cogeretur, et maximo infortunio affici: et caetera, quae idem Plutarchus exequitur.

Obscoenae etiam uolucres Furiae dicuntur a poetis. Idem Vergilius:

Iam tam linquo acies, ne me terrete timentem,

Obscoenae uolucres, alarum uerbera nosco.

Appellantur et Luctificae, et Importunae, aliquisque huiusmodi epithetis, quae diligentius ab aliis collecta habentur.

Furor, Furiarum si non frater, consanguineus certe a poetis confingebatur: quem graphice effingit Petronius Arbiter in carmine de Bello ciuili, ut pictor nemo melius.

Furina etiam colebatur a Romanis, teste Cicerone libro tertio de Natura deorum, ubi Eumenidas commemorans: Quae, inquit, si deae sunt, [p.293] quarum et Athenis fanum est, et apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae. meminit idem ad Atticum. Sed et ego in primo Syntagmate aliquanto plura, de Furore et Furina recensui.

Sed iam reliquam inferorum deorum, hoc est, θεῶν νεκρικῶν et Manium turbam explicabo, Vergilianumque illud interpretabor,

Dei quibus imperium est animarum, umbraeque silentes,

Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late,

Sit mihi fas audita loqui.

Varie philosophi de deis inferis dixere. nam per alios existimabant animas ad inferos deduci: ut,

Hac animas ille euocat Orco

Pallentes, alias sub tartara tristia mittit.

item per alios transferri: ut,

Nauita sed tristis nunc bos, nunc accipit illos.

per alios purgari: ut,

Aliae panduntur inanes Suspensa aduentos.

per alios uero ad summa reuocari: ut,

Lethaeum ad fluuium Deus euocat agmine magno.

Sed nos his missis, seorsum discutiamus, primumque qui proprie Manes dicerentur a gentibus ostendamus. Manes, ut Aelius Stilo ait, dei inferi, quasi boni dicuntur a suppliciter eos uenerantibus, propter metum mortis: ut Immanes quoque, pro ualde non bonis dicuntur. Manes uero ab auguribus inuocabantur, quod per eos omnia manare credebant, eosque deos superos atque inferos dicebant. Festus: Manalem, inquit, etiam lapidem putabant esse hostium Orci, per quod animae inferorum ad superos manarent, qui dicuntur manes. alii Manalem lapidem uocabant petram quandam, quae erat extra portam Capenam, iuxta aedem Martis: quam cum propter nimia siccitatem in urbem pertraherent, sequebatur statim pluua, eumque quod aquas manaret, Manalem lapidem dixerunt. idem Festus auctor. Manias quoque idem Aelius Stilo dici ait, facta quaedam ex farina in hominum figuris, quia turpes fiant, quas alii Maniolas appellabant. Manias autem, quas nutrices minitentur pueris, esse Laruas, id est Manes deos deasque putabant, quosque ab inferis ad superos emanare credebant: aut Mania est eorum auia, materue. Sunt enim utriusque opinionis auctores. hinc etiam putarim ipse hodie, dum terrere uolunt infantes, Orcum nutrices uocare. Sed ridicula ista sunt, quin et nocuient plerumque infantibus et puellulis terriculamenta ista afferunt. Deorum etiam Manium mundum Cereris esse putabant, qui mundus quid ita diceretur, retulit Cato in Commentariis Iuris ciuilis: Mundo, inquit, nomen impositum est, ab eo mundo, qui supra nos est. forma enim eius ex iis qui intrauere, cognosci potuit assimilis illi. atque eius

inferiorem partem, ueluti consecratam deis Manibus, hunc autem Cereris mundum ter in anno patere putabant his diebus, [p.294] postridie Vulcanalia, et ante diem tertium Non. octobris, et ante diem sextum Id. nouembr. Inferiorem enim eius partem consecratam deis manibus, arbitrantes clausam omni tempore praeter supradictos dies: quos dies etiam religiosos iudicauerunt eam ob causam, quod iis diebus ea quae occulta et abdita religionis deorum Manium essent, in lucem adducerentur, et patefierent: nihilque eo tempore in Re publica geri uoluerunt. Itaque per hos dies non cum hoste manu conserebatur, non aliud quicquam in Re publica nisi quod ultima exegisset necessitas, administrabatur. haec ex Sexti Pompeii commentariis. Vergilius cum cecinit, Quisque suos patimur manes: Seruius exponere uidetur pro Geniis, ut in Geniis pluribus ostendimus. Martianus uero: Manes, inquit, corpori humano praesules attributi sunt, qui parentum seminibus manauerunt, qui sub Plutonis potestate sunt: qui ideo Summanus dicitur, quasi Summus manium. idem auctor paulo post, Verum manes quoniam corporibus illo tempore tribuuntur, quo fit prima conceptio, etiam post uitam iisdem corporibus delectantur, atque cum iis manentes appellantur Lemures: qui si uitiae prioris adiuti fuerint honestate, in Lares domorum, urgiumque uertuntur: sin autem deprauantur ex corpore, Laruae perhibentur, ac Maniae. Manes igitur tam boni quam truces constituti, quos ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δοξίμονας memorat Graia discretio. In his autem sunt Manes, eorumque praestites Mana et Mantuona dei etiam cum his quos Aquilos dicunt, item Fura, Furinaque, et mater Mania: et caetera, quae Martianus est executus. Sed praestat etiam audire, quae de his Apuleius scribit deo Socratis, cum de Daemone et Genio locutus fuisset. ita enim subiungit suis uerbis: Animus humanus exutus et liber, stipendiis uitiae corpori suo obiuratis, hunc uetere latina lingua reperio Lemurem dictum. ex hisce ergo Lemuribus, qui posteriorum suorum curam sortitu pacato, et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris: qui uero propter aduersa uitiae merita, nullis bonis sedibus, interuagatione, seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, caeterum noxiis malis, hunc plerique Laruum perhibent: cum uero incertum

est quae cuique eorum sortitio euenerit, utrumne Lar sit, an Larua, nomine Manem deum nuncupant, et honoris gratia Dei uocabulum additum est. haec Apuleius. Lemures, quos iam dixi, inter inferorum umbras et manes, Porphyron Horatii interpres recenset in eo uersu, Nocturnos Lemures: Lemures, inquit, putant hominum esse post mortem uagantes umbras, dictos quasi Remores, a Remo, cuius occisi umbras frater Romulus placare cum uellet, Lemuria instituit. Vnde Ouidius in Fastis de Romulo loquens, [p.295]

Lucemque Lemuria dixit,  
Illam, qua positis iusta feruntur aus.  
Aspera mutata est in leuem tempore longo  
Littera, quae toto nomine prima fuit.  
Mox etiam lemures animas dixerunt silentum.

Idem,  
Ritus erit ueteris nocturna Lemuria sacri,  
Inferias tacitis manibus illa dabunt.

Sed de his plura in nostro de Annis et mensibus, etc. Varro de Vita populi Romani apud Nonium: Quibus temporibus in sacris fabam iactant noctu, et dicunt se Lemures domo extra ianuam eiicere. Augustinus libro nono de Ciuitate dei, dicit quidem animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri Lares, Laras, et Manes. Lares, si meriti boni sunt: Lemures, seu Laras, si mali. Porro Tauri ludi dicebantur, qui deis inferis fiebant. Festus.

Charon deus infernus, dictus per antiphrasin, quasi Acheron. alias tamen Phurnutus etymologias adducit, quas non satis probo. Describitur probe a Vergilio in sexto.

Portitor has horrendus aquas et flumina seruat,

Terribili squalore Charon, cui plurima mento  
Canicies inulta iacet, stant lumina flamma,  
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus,  
Ipse ratem conto subigit, uelisque ministrat,  
Et ferruginea subiectat corpora cymba,  
Iam senior, sed cruda deo uiridisque  
senectus.

De hoc lectum est in Orpheo, quod quando Hercules ad inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit, ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Atque ideo ipse apud Vergilium,

Nec uero Alciden me sum laetus euntem  
Accepisse lacu.

Portitor Charon dictus a graecis Porthmeus, ut in nostris Nauigiis ostendimus. Iuuinalis:

Tetrumque nouitius horret Porthmea.  
Nauita etiam nuncupatus: ut,  
Nauita quos iam inde ut Stygia prospexit ab  
unda.

Item:

Nauita sed tristis nunc hos, nunc accipit  
illos.

Cerberus Plutonis canis, qui triceps  
fingebatur, et propterea Tergeminus dictus, et  
Trifaux: ut,

Cerberus haec ingens latratu regna trifaci  
Personat.

Natus traditur ex Geryone et Echidna. hic  
fertur tractus ab inferis, ut in Herculis uita  
scripsimus, ab Hercule. Hinc Vergilius de  
Hercule in VI.

Tartareum ille manu custodem in uincla  
petuit,

Ipsius a solio regis traxitque trementem.

Cuius fabulae haec [p.296] ratio traditur, quia  
Hercules omnes cupidates et cuncta uicia  
terrena contempsit et domuit. nam Cerberus  
dictus quasi κρεόβορος, hoc est carnem  
uorans. unde et lectum de eo est, Ossa super  
recubans.

Cerberus Medusaeum monstrum appellatus  
ideo est, quod uillos ac pilos serpentinos  
habere diceretur. Ouidius:

Terna Medusaei uincirem guttura monstri.

Desribitur sic a Tibullo:

Nec canis anguinea redimitus terga caterua,  
Cui tres sunt linguae, tergeminumque  
caput.

Sed et a Seneca in tragediis. Ianitor  
Cerberus etiam uocatus. Vergilius,

Ingens ianitor antro

Aeternum latrans exangues terreat umbras.

Minos praeterea, Aeacus, et Rhadamanthus,  
tres inferorum iudices, Iouis et Europae filii, ut  
Diodorus scribit. alii tamen Aeacum ex Aegina  
natum prodiderunt, ut pluribus a Pindaro est  
proditum. Plato uero ait, Europaeos ab Aeaco  
iudicari, a Rhadamantho Asianos, a Minoe  
porro diiudicari si quid ambiguum occurisset.

Minos Cretensis quaesitor cognominatus,  
iustissimus fuisse proditur. Quaesitor Minos  
urnam mouet, ait poeta. Plato uero, ut puto, in  
Gorgia: Haec peccata Aeacus baculum tenens,  
sicut et Rhadamanthus, iudicat: Minos autem  
aureum scepturn gestans, solus sedet,  
utriusque iudicium considerans, censensque:  
etc.

Rhadamanthus Gnossius uocatus est, ut  
Vergilius:

Gnossius haec Rhadamanthus habet  
durissima regna,

Castigatque auditque dolos, subigitque fateri.

Scribit Hesychius, Rhadamanthia iuramenta  
dici, ueluti per anserem et canem, ut iurare  
solebat Socrates: et per caparin, ut Zeno, et  
eiusmodi. Rhadamantheum uero iudicium, de  
incorrupto et seuero dici, ait Erasmus. Alciatus  
ex Platone, de iudicio quod iuramento finitur,  
uel quod incorrupte et absque mora  
terminetur, quod (pro Dei) hoc tempore  
minus seruatur.

Styx palus inferorum. Vergilius,

Stygiamque paludem,

Dei cuius iurare timent, et fallere numen.

Idem scribit et Hesiodus in Theogonia et  
Ausonius:

Quaeque piat diuum periuria nocticolor Styx.

Et hoc propter Victoriae fauorem, Stygis  
filiae, quae bello Gigantum astitit: pro cuius rei  
remuneratione, statuit Jupiter, ut si quis  
fefellisset eius numen, uno anno et nouem  
diebus ab ambrosia et nectare prohiberetur.  
ratio, quia tristitia contraria aeternitati, et  
laetitia moerori. plura Seruius. Sane Seneca de  
situ et sacris Aegyptiorum, paludem tradit  
apud illos fuisse, locum tutissimum, ubi Isis  
Osiris membra occisi sepeliuit. Et ibi breuis  
insula ἄβατος, id est inaccessa erat. Lucanus:  
[p.297]

Hinc Abatos, quam nostra uocat ueneranda  
uetustas.

Palus uero Styx uocabatur, ubi sacra  
quaepiam fieri consueuerant, quorum Seruius,  
et nos in Sepulchralibus meminimus.

Acheron inferorum fluuius, quasi sine  
gaudio interpretatus. Vergilius in sexto,

Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso.

Legimus tamen Acheronta pluribus in locis  
fuisse, ut in Taenaro, ubi ab Hercule Cerberus  
est ab inferis detractus. Alii in Epiro. Sed  
constat, inquit Seruius, locum esse haud longe  
a Baiis, undique montibus septum. Idem  
Vergilius,

Hinc uia, Tartarei quae fert Acherontis ad  
undas,

Turbidus hic coeno, uastaque uoragine  
gurges

Aestuat, atque omnem Coccyto eructat  
arenam.

Idem,

Cocytusque sinu labens circumfluit atro.

dictus uero Cocytus παρὰ τὸ κωκύω, lugeo.

Fuit et Acherusia palus, cuius crebra mentio

scriptoribus, Diodoro, Seruio, et Phurnuto,  
aliisque.

Auernus lacus, de quo idem Vergilius:  
Spelunca alta fuit, uastoque immanis hiatu  
Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque  
tenebris,  
Quam super haud ullaे poterant impune  
uolantes  
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris  
Faucibus effundens, supera ad conuexa  
ferebat:  
Vnde locum Graii dixerunt nomine  
Auernum.  
Sane plerique apud Vergilium legunt  
Aornon.

Sed et in graecis Ἄορνος λίμνη dicitur: hinc  
et poetae pro inferis saepe Auernum posuere.  
Lacum ipsi aliquando uidimus, teturum et  
horridum. Seruius super ea uerba, Tuta lacu  
nigro: Tuta, inquit, quia hinc lacu, hinc cingitur  
syluis. dicit autem locum, quem nunc Doliola  
uocant, apud Cumas.

Lethe fluuius, qui et Lethaeus amnis, ab  
obliuione dictus est. Sane Plato libro decimo  
de Republica, Campum Lethaeum dicit, et  
fluuium Ἀμέλητα per eum labi. Quare  
decipiuntur, qui hunc fluuium Amelitam  
appellant, cum Ameles dicendum sit. in quarto  
enim casu Ameleta apud Platonem est, Παρὸν  
inquit, Ἀμέλητα ποταμὸν. huius uero et  
Ficinus meminit, et Socinus meus in sua de  
Felicitate ἀναγνώσει.

Phlegethon, et Pyrphlegethon, quod igne  
ardeat, appellatus.

De Tantalo, Sisypho, Tityo, Ixyone, Phlegya,  
Salmoneo, caeterisque qui dant poenas apud  
inferos, nihil dicemus: quia non sunt inter deos  
connumerati, et nostri ideo non sunt negotii.

SYNTAGMATICI SEXTI FINIS.